

Universitätsbibliothek Wuppertal

Linguarum Vett. Septentrionalium Thesaurus Grammatico-Criticus Et Archæologicus

Hickes, George

Oxoniae, 1705

De numismatibus Anglos-Saxonicis et Anglo-Danicis dissertatio epistolaris

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1559)

A D

Illustrissimum & Honoratissimum Dominum

THOMAM Dom. HERBERT

Comitem de Pembroke & Montgomery,

Serenissimæ ANNÆ REGINÆ Sanct. Con. Præsidem, &c.

ANDRÆ FOUNTAINE

De Numismatibus *Anglo-Saxonicis* & *Anglo-Danicis* Dissertatio Epistolaris.

Eritis Tuis, Honoratissime Comes, & officio meo admodum defuisse viderer, nisi Tabulas Nummorum *Anglo-Saxonicorum* & *Anglo-Danicorum* à me nunc editas Dignitati Tuæ dicarem; qui cum in omni alio Literaturæ genere, tum in eo, quod ad antiqua spectat numismata, non tantum habearis, verum etiam sis, versatissimus. Hanc ob causam Te laborum meorum Judicem habere minime in votis esset, nisi constaret etiam, quod Solis ad instar, quo magis in intima rerum ipse penetras, eo candidiore soleas interim effulgere vultu. Spes certe est, Te plusquam solito ac paterno quodam affectu in hunc rapi Foetum, cui Tu (Numen quasi Literarium) non tantum vitam dedisti, sed & (siqua

infant) Corporis robur & Formæ elegantiam. Lubens enim fateor, immo fateri me posse superbio, quicquid in hac Dissertatione occurrit notatu dignum, id non tam meo deberi sive ingenio sive iudicio, quam (quibus me sæpius es dignatus) Consuetudini Tuæ & Gazophylacio nummario; in Illa quidem utenda fas est feliciter & majore cum fructu pauculas collocare horas, quam in evolvendis libris annos integros; in Hoc autem explorando facile quis reperiat gemmas istas pretiosiores, quas frustra quæret alibi, aut in Procerum ædificiis, aut etiam in Principum curiis. Inter alios quippe est admodum rarus, qui tantam exhibere valet veterum numismatum Copiam; nemo prorsus, qui talem Delectum: Illa nimirum amplas Fortunæ, Hic egregias indicat Animi Tui dotes. Quid memorem *Deorum Dearumque* omnium apud præcos Ethnicos celeberrimæ Imagines? *Græcarum Regionum, Colonia-rum, Civitatumque* nummos? *Familias Romanas* numismatibus insignitas? aut antiquorum Romanorum *Pondera* pœne universa? Pars hæc exigua est Theauri Tui Nummarii, in quo licet etiam videre numismata *Antiochorum Syrorum, Ptolomæorum Ægyptiorum, & Regum* ceterorum fere omnium, quotquot olim *Alexandro* magno successerunt in variis Imperii Macedonici Provinciis; item numismata *Herodum, & Romanorum Imperatorum* à *Julio Cæsare* usq; ad *Heraclium* omnino omnium. Adeo splendida, adeo augusta Tibi, (Hon. Dom.) Supellex nummaria; quæ interim adeo copiosa est, ut omnia memoratu digna figillatim memorare immensus labor evaderet. Prætereo itaque numismata illa quamplurima, quorum alia conquesta sunt ad stabilendas Epochas cognitu difficiliore; alia ad confirmandas Veterum Historicorum

‡ S f

narra-

narrationes, quarum veritas à nonnullis in dubium vocatur; alia ad dilucidanda eorundem scriptorum loca obscura, & proinde luce carentia; alia denique ad redarguendam nuperorum quorundam Autorum ignorantiam, ipsorumque corrigendos errores. Prætereo etiam numismatum Fictitiorum varia genera non alium in finem conservata, quam ut inde ediscant in scientia Nummaria Tyrones, numismata Archetypa seu vere antiqua, ab Ectypis sive vasrorum hominum arte confictis dignoscere. At vero tandem haud prætereunda restant Numismata illa, quæ ad hanc nostram gentem spectant, omnibus sanè numeris perfecta & absoluta, & quæ nostro huic instituto quammaxime inferviebant; speciatim selecta illa numismata *Regum Saxoniorum*, quotquot sive durante Heptarchia *Egbertum* antecesserunt, sive eundem ordine exceperunt ad *Gulielmum* usque cognomento *Victorem*. De hisce scilicet numismatibus, una cum aliis eodem spectantibus & aliunde à me collectis, in sequenti Tractatu fusius & pro modulo meo sum acturus.

Walkerus in Dissertatione illa, quæ edita est in Britannia *Camdenianæ* Editione *Gibsoniana*, asserit nummos *Saxonicos* ex ære factos multo rariores esse, quam qui ex auro vel argento constant. Quibus verbis innuere videtur, istiusmodi nummos aureos haud perquam esse raros, aut saltem extare nonnullos. At vero mihi haud diffidendum est, ne unum quidem aut à me unquam fuisse visum, aut inter legendum mihi occurrisset, nisi in Dissertatione illa *Walkeriana* & Historia naturali Comitatus *Oxonienfis* à Doctore *Plot* conscripta. Hic quidem scriptor, eumque secutus *Walkerus*, nummum 40^{um} in Tabula 8^{va} (quam videre est in prædicta editione Britannia *Camdenianæ*) autumant esse *Saxonicum*, & qualem ad curandam Scrophulam *Edvardus* Cognomento *Confessor* hominibus morbo illo laborantibus elargiri solitus est. Sed ratiociniis adeo infirmis innixa est hæc opinio, ut in Tabulis nostris Monetæ *Saxonice* nummus iste nullum obtinuerit locum. Veruntamen Iconem ejus infra apponere visum est, ut inde iudices, Hon. Comes, quam valido argumento contendat *Walkerus* nummum hominibus Scrophula affectis elargiendum, Monachæ quam Angeli (uti nunc dierum in more positum est) imagine rectius esse signandum.



Porro ex verbis istis *Walkerii* supra citatis facile quis (in numismatum scientia Tyro) induci potest, ut credat extare nummorum *Saxoniorum* majorem copiam ex auro, quam ex ære conflata; quod quidem à vero tantum abest, ut in abacis nummorum ferè universis conspiciendi sint ænei nonnulli; immo plurimi in abacis Reverendi maxime Patris *Johannis* Archiepiscopi *Eboracensis*, & Reverendi admodum Patris *Gulielmi* Episcopi *Carleolensis*, necnon in abaco Viri spectabilis *Radulphi Thoresby* de *Leeds* in Agro *Eboracensi*: sed interim, (quantum memini) ne unum quidem aureum, sive in nummorum abacis modo memoratis, sive in quibusvis aliis, fas mihi erat unquam vidisse. Quod ad argenteos nummos, quibus *Anglo-Saxones* utebantur, spectat, plurimi quidem etiamnum supersunt, ut ex tabulis sequentibus constabit; nempe hæc, si æreorum minoris moduli nummorum unam excipias, ex argenteis nummis conficiuntur omnes.

De nummis autem *Saxonice* eo modo & ordine, quem vides, recudendis tum primum cogitabam, cum Doctissimi *Hicessii* Linguarum vett. *Septentrionalium*, & imprimis *Saxonice*, Grammaticas sub prælo Academix nostræ longe florentissimæ sudantes viderem. Tunc enim multum dolebam, Avitæ Linguæ Grammatico-Criticum & Poeticum opus una cum Catalogo codicum omnium in ea scriptorum (studio aut saltem auspicio Viri istius Doctissimi) in lucem esse proditurum sine numismatibus *Saxonice*. De quo cum *Hicessum* admonerem, me rogabat, ut Thesauro suo, & *Humphredi Wanleii* Codicum *Saxonice* Scriptorum Catalogo, etiam numismata *Saxonica* tabulis exhibita ipse adjungerem: nihil enim aliud deesse operi isti, ut omnibus

omnibus numeris absolutum reddatur, se sentire aiebat. Hoc autem animum ad idem aggrediendum quammaxime incendebat; quod conatus nostros in nummis *Saxonicis* meliori, quam antea, forma edendis, Tu, Vir Illustrissime, comprobaveris. Unde spes haud levis est, hosce meos qualescunque conatus Reip. Literariæ non omnino ingratos fore, cum Tibi, Vir Honoratissime, jam fuerint grati; cumque in pretio sint apud viros literatos opera fere omnia de nummis antiquis conscripta; speciatim bina illa, quorum alterum contexit *Du Cangius de Familiis Byzantinis*; alterum *Le Blanc de monetis Francicis*. Fateor equidem mihi deesse tam egregias & ingenii & doctrinæ vires, ut inde valeam è nummis nostris tantam eruditionis copiam eruere, quantam doctissimi autores modo laudati eruerunt, è nummis *Byzantinis* alter, alter è *Francicis*. Sed nullus interim dubito, quin si quis me peritior hanc fusciperet provinciam, facile commostraret Regum *Anglo-Saxonicorum* & *Anglo-Danorum* numismata non minus inservire Literis promovendis, quam illa alia sive Imperatorum *Constantinopolitanorum* sive Regum *Francicorum*; & quo melius hac de re iudicet lector, singularum gentium numisma aliquod heic loci affigendum esse curavi.



Si quis monetam, qua usi sint Majores nostri sub variis *Saxonum* ac *Danorum* ditio- nibus, monetæ aliarum (tum tēporis) gentium conferat, constabit nostram illam, aut majore aut saltem non minore arte elaboratam fuisse, quam aliam quamcunque. Et quamvis non sit interim denegandum, nummos illos antiquos quoad formæ elegantiam longe exuperari à nummis aliquot post *Gulielmum* cognomento *Victorem*, & à nummis universis post *Henricum VII.* excusis, tamen operæ pretium est eorundem seriem (quantum licet) colligere: quippe qui veterum nostrorum Regum imagines exhibent utut minus elegantes; atque etiam aperte testantur, istorum seculorum homines Artis tam Pictoriæ quam Sculptoriæ fuisse admodum rudes.

Verum & aliis multis nominibus magnus est veterum nostrorum numismatum usus, propter quem docti non tantum non aspernari illa, sed in pretio habere debent. Etenim primo Inscriptionibus suis, quæ antiquas literas ex Alphabeto *Runico* desumptas ostendunt, ad dignoscendam codicum in *Anglia* scriptorum ante nongentos annos antiquitatem quammaxime conducunt. Nam ante id Tempus pristina illæ Literæ, tam in scribendis libris quam in signandis nummis, Majoribus nostris in usu erant, & Alphabeti illius antiqui, sed minus elegantis, pars fuerunt, quod (ut scribit *Ingulphus*) Rex *Ælfredus* in novam & elegantiorē scribendi formam convertit, quæ ex eunte nono seculo, cum Rex ille principatum obtineret, *Romanis* literis in vetustarum loco substitutis, inolescere apud *Anglos* cœpit. De omnibus igitur MSS. codicibus, in quibus pristina illæ Literæ cernuntur, quod ante id Tempus exarati essent, pronuntiandum est. Id genus est Codex ille Evangeliorum *Lychfeildensis*, quem librum *S. Ceadae* vocant; cujus specimen in uncialis formæ literis descriptum nobis *Hicelius* in Grammaticæ suæ Franco-Theotiscæ Cap. I. exhibuit. Præterea in seculo undecimo, præsertim regnante *Edwardo* Confessore dicto, ut Orthographica scribendi ratio apud *Anglos* variari seu potius vitiari cœpit, istius Temporis numismata ostendunt. Hinc occurrunt in istius seculi nummis *EDWARD, LEFFINE, &c.* pro quibus antea scribi solebant *EADWEARD, LEOFINE, &c.* Plura enim hujusmodi exempla afferre licet, non obscurum nobis lumen præbentia, quo innotescant varia codicum nostrorum MSS. secula.

Secundo, Veteres nostri nummi ab antiquitatis studiosis magni sunt faciendi, quod in partibus suis averfis varia nobis etiamnum exhibeant virorum Illustrium nomina, quorum nonnulla aliter oblivione prorsus essent obruta. Equidem heic loci depingendum curavi numisma quoddam *Ceolwulfi* Merciorum regis, cujus in averfa parte videre est Profapiæ Tuæ, Comes Illustrissime, nomen; barbaro quidem modo istius seculi descriptum, sed quod satis indicat nongentis fere abhinc annis inclaruisset Genus Tuum. Et sane ex ipsius vocis origine licet idem colligere,

cum HEREBERHT seu HEREBRYHT Saxonice tantundem valet ac *Clarus in armis*, & *Dano-Saxonice* significet *Dominum Illustrem*.



In Chronico Saxonico, quod duodecim abhinc annis Oxonii eruditissimus edidit Edmundus Gibsonius, memorantur hujusce nominis Viri Illustres haud pauci; speciatim in anno Dom. DCCCXXXVIII sic legitur; HER HEREBRYHT EALDORMON 7ÆS OFSLEGEN FROM HÆDENUM MONNUM AND MONIGE MENN MID HIM ON MERSC-ƳARUM; hoc anno Herebryhtus Dux fuit occisus à Paganis, & complures cum Illo in Merscwaris. Quæ clades cum acciderit anno tantum XVII^o postquam Ceolwulfus esset regno suo privatus, verisimile est Ducem hunc Herebryhtum non diversum fuisse ab Herebryhto seu Hereberhto illo, cujus mentio fit in prædicto Ceolwulfi nummo.

Tertio, Quemadmodum multorum Hominum illustrium, sic & Locorum, præsertim Regionum, Oppidorum & Villarum nomina posteris prodiderunt veteres nostri nummi, qui eo nomine adeo non sunt contemnendi à rei nummaria studiofis, ut multum ab illis æstimandi sint. Hinc Topographiæ Anglo-Saxonice seu Britanno-Saxonice Studio non possunt non esse maximi usus, cum non solum urbium & oppidorum nomina, sed pro Temporibus in quibus impressi erant, receptam scribendi rationem in averfis suis partibus ostendunt. Quamobrem ad Britannicæ seu Anglo-Saxonice seu Dano-Saxonice topographiam conficiendam maxime utiles sunt, quam quidem desiderari animadvertit Hickefius noster Dissertationis suæ Epistolaris pag. 121, & ad quod opus aggrediendum è Saxonice Literaturæ peritis aliquem vehementer exhortatur. Hic nummorum nostrorum veterum usus satis patebit ex Tabulis sequentibus, adeo ut nullum aliud heic loci adjiciam hujusce rei exemplum præter nummum aliquem Edwardi Confessoris, qui peculiari quodam modo ad Te, (Honoratissime Comes) spectat, WILTONII Tui scilicet excusus, uti testatur ipsius pars averfa. De quo etiam nummo fortasse non abs re erit adnotari, unicum esse in quo mihi adhuc occurrit WILTONII mentio; necnon nomen THVRGIL, quod erat nomen Præfecto Nummorum excusorum, aut saltem Oppidi Domino, etiamnum superesse (uti prædicant) in loci istius vicinia.



Hactenus de usu nummorum veterum nostrorum: è quibus qui ex argento conflantur, ut plurimum eximie tenuitatis sunt, adeo ut eosdem imitari minus in promptu sit; eorumque omnes, quos mihi contigit intueri, habebantur pro diversis suis ætatibus PENINGI sive denarii, quorum plerique accedunt prope ad valorem trium Denariorum juxta hodiernam monetæ nostræ rationem. Quod enim attinet ad diversitatem tam ponderis quam magnitudinis, quæ in denariis illis Anglo-Saxonice & Anglo-Danicis facile conspicitur, eandem opinor ortam esse partim à diverso Argenti valore juxta majorem minoremque ipsius copiam, partim à diverso statu, quo res Principum sese habuerunt. Eandem diversitatem in nummis aliarum Gentium conspici licet; nec Te fugit, Domine rei nummaria scientissime, cum pondere tum magnitudine sæpius immutatum esse Denarium Romanum. Non alium nummum Argenteum præter Peningum sive Denarium à Saxonibus fuisse excusum haud assero; sed mirari interim subit, nullum alium Antiquariis nostris aliquando occurrisse, si quis alius olim extiterit.

Ex Æneis Saxonum nummis nonnulli adhuc supersunt, eosque id genus monetæ Hickefius esse existimat, quod STYC vel STYCA ab antiquis Anglis vocabatur. Occurrit

Occurrit vox in Evangeliiis Saxonice Marc. XII, 42. ubi verba Latine versionis [Cum venisset autem una vidua pauper, misit duo Minuta quod est quadrans] sic Saxonice redduntur: ÐA COM AN EARM ƳUDUFE AND ƳEARP ƳEGEN STYCAS. THET IS FEOR-THUNG PENINGES. at Luc. XXI. 2. [Vidit autem & quandam viduam pauperulam mit- tentem æra minuta duo] sic redduntur: ÐA GESEAH HE SUME EARME ƳUDEƳAN BRIN- GAN ƳEGEN FEORÐLINGAS. Ex quibus constat STYCAM & quadrantem Denarii FEORÐUNG PENINGES, seu FEORÐLING apud Anglo-Saxones idem valuisse; adeo ut earum octo exæquarent olim valorem unius tantum Denarii Saxonici: sed nò hanc quidem rationem hodie obtinent respectu Monetæ Anglicanæ. Quamvis enim Denarius Saxonius intrinseco valore nunc exæquet tres Denarios Anglicanos, ta- men octo nummuli prædicti non exæquant Semidenarium sive obolum nostrum hodiernum; unde colligi posse videtur nummos hosce æreos nunc dierum reper- tos non esse veteres STYCAS Saxonice, sed aliud monetæ genus Northanhym- bris proprium, & alio (ut par est credere) nomine appellatum.

Præter Peningum & STYCAM, occurrunt apud Historiographos aliorum num- morum (aut potius summarum nummularum) variæ denominationes, cujusmodi sunt HELFLING seu Saxonice Semidenarius; FEORÐLING seu Quadrans Denari- ii Saxonici; SCYLLING, qui continebat v Denarios; MANCUS, qui continebat xxx Scyllingos; SCEAT, cujus valor nondum constat; THRIMSA, incerti pariter valoris, nisi quod Scyllingi pars aliquota videtur fuisse; PUND qui continebat LX Scyllingos. His addi potest ORA, nummus vel computandi ratio à Danis mutua- tus; item MARC seu MARCA summa vel nummus ex VIII Oris constans; denique Siclus in Latinis Saxonum scriptis memoratus. Ex nummis prædictis plurimos, si denarium excipias, opinor fuisse mere nominales, quales hodie sunt apud nos Pound, Mark, Noble. Sed de illis nihil aliud adjiciam, cum de iisdem co- piose & accurate agatur ab Hickeſio nostro pag. 109. 110. 111. 112 Dissertationis suæ Epistolæ ad Bartholomæum Showerum.

Verum enimvero, Celeberrime Domine, numismatum omnium quæ aut Anglo- Saxonibus aut Anglo-Danis in usu fuisse videntur, nullum notatu dignius est quam id literis Runicis inscriptum, quod possidet vir genere & ingenio clarus Radulphus Thoresbeius Leodiensis. In nupera versione Britannicæ Camdenianæ In- scriptio ejus ita legitur & explicatur; Thur Gut Luetis, hoc est, juxta Interpretis istius mentem Thoris Dei Facies seu Effigies. Opinatur enim Interpres Ille Figu- ram nummo impressam repræsentare Deum Thorem, eoque modo quo coli so- lebat, flamma scilicet ad solis instar ambiente caput & Dextra gestante sceptrum seu aureum malleum. At vero Hickeſius Literaturæ Septentrionalis instaurator amice me docuit, Lectionem prædictam, Thur Gut Luetis (modo vera fuerit) non reddendam esse Thoris Dei Facies, sed Thor Deus Populi, vel Thor Deus Patrius; quippe singula hæc vocabula Liut, seu Luit, seu Luet (in Genitivo casu Luetis) idem valent ac Populus.



Est autem & alia Interpretatio inscriptionis, de qua nunc agitur, ab Eru- dito Nicolao Kederò (Regii Antiquitatum Collegii, quod Holmiæ est, Assessore) excogitata & Lipsiæ nuperrime in lucem edita, quam ad me transmitten- dam curavit Illustrissimus Leibnitiuſ, multis nominibus Reipublicæ Literariæ, præsertim vero mihi, quam maxime æstimandus. Autumat Kederus figura prædi- cta repræsentari non Thorem seu Thoris Idolum, sed Dominum Salvatorem no- strum, Literasque inscriptas hunc ad modum esse legendas, Thurgut Luntis; & Lectionem hanc ita reddendam Thurgut Londinensis. Vult nimirum Thurgut esse nomen Monetarii, & Luntis seu Lundis non aliud esse quam Londinum, ubi num- mus excusus est. Nec certe desunt argumenta satis valida, quibus vir doctissimus hanc suam firmare voluit sententiam; nisi quod inscriptio videatur rectius reddi

posse *Thurgut Lincolnensis* quam *Londinensis*. A *Lyndo* enim seu *Lindo* veteri Lincolnensis urbis appellatione, Saxones fecerunt *LYND* seu *LIND*, cujus Genitivus cernitur in vocibus *LYNDIS-EGE Lyndseia*; *LYNDIS-PARA Lincolnenses*. At vero tandem quid obstat, quo minus excudi potuerit nummus hic in urbe illa *Scania* in *Suecia*, quæ ab antiquis omnibus *Lundis* dicta est, hodie dici solet *Londinum Scanorum*; maxime cum Literæ Runicæ tam apud *Scanos* in usu essent, quam apud *Futas, Anglos*, eorumque posteros in hac nostra terra?

Tanto demum in pretio habentur Veteres nostri nummi, ut eosdem comparare Antiquarii etiam Exteri minime dedignentur. Juvat heic memorare præclaram illam gazam Illustrissimi Comitis Schwartzburgici, quam Humanissimus *Morrellus* mihi haud ita pridem *Arnstadie* versanti commonstravit, monetis tam Anglo-Saxonicis quam aliis pene innumeris locupletatam, adeo ut egregiis Antiquitatis reliquiis ibidem perlustrandis totum triduum impendere minime gravatus sim. E nostratibus plurimi sunt, qui magno studio magnoque sumptu nummorum Anglo-Saxonicorum & Anglo-Danicorum amplam sibi compararunt copiam. Ex his silentio minime prætereundi sunt ii, quorum beneficio (præsertim vero Tuo, Comes Illustrissime) debetur monetarum series amplissima Tabulis subsequentiis conspicienda. Oportet gratias referre quam maximas Reverendissimo Domino Archiepiscopo *Eboracensi*, magno Infulæ ornamento, qui non modo Monetas suas fidei meæ mandavit, verum etiam difficilia quædam in iisdem occurrentia pro more suo candide enucleavit. Egregius ille Antiquarius, Reverendus admodum Episcopus *Carleolensis* amice mihi impertiit nummos haud paucos, cum ex ære tum ex argento conflatos. Pari modo de me cæterisque omnibus rei nummariæ studiosis bene promeriti sunt, Vir Honoratissimus Dominus *Finch* de *Wye* in Comitatu Cantii; Reverendus *Hickesius*, à quo accepi nummos fere omnes *Burgredæ* in Tabula tertia reperiendos; Inclytus Vir & Literis promovendis natus Dominus *Sloane*, M. D. Reverendus *Gul. Lloyd* Eruditissimi Episcopi Wigorniensis filius, Dominus *Chicheley*, Dominus *Robertus Cotton* Bibliothecæ Cottonianæ Fundatoris clarissimi pronepos dignissimus, Dominus *Brown Willis*, Dominus *Brome*, Singuli Antiquitatis apprime Studiosi; necnon Reverendus Magister *Elstob*, qui pro eximia sua humanitate mihi communicavit Iconas nummorum, quos ipse habet Saxonicorum, & quidem rarissimorum: atque etiam copiam mihi fecit nummorum, quos possidet Reverendus *C. Batteley* Archidiaconus *Cantuariensis*. Sed dolendum est, hosce omnes ad me haud prius delatos esse, quam exsculptæ fuerint Tabulæ: nec interim licere eosdem commode Tabulis inferere; cum fuerint omnes nummi Regis *Ethelredi*, modo unum excipias qui erat *Ethelstani*; & quatuor qui erant *Eamundi*. At vero tandem maximo mihi erat adjumento in Tabulis conficiendis nummarius plane Thesaurus Domini *Thoresby* de *Leeds* in Agro *Eboracensi*, qui mihi in manus tradidit plures quam 100 nummos Anglo-Saxonicos & Anglo-Danicos, quorum ope data est mihi copia emendandi Iconas non paucas, quæ extant in Britannia *Camdeniana*: quas vero (desideratis Archetypis) necesse erat sine omni emendatione à Tabulis *Walkerianis* desumere, iis apponitur Litera *W*. Denique Tabulæ Chronologicæ Regum Anglo-Saxonicorum & Anglo-Danicorum huic operi annexæ sumuntur ex Historia Anglicana ab Erudito *Jacobo Tyrrell* Armigero nuperrime conscripta.

In delineandis Tabulis nostris ipsissimum modulum nummorum, quotquot in manus meas pervenerunt, accurate observatum esse summo opere curavi; cæterorum autem Iconas à Tabulis *Walkerianis* descriptas paululum imminuere haud dubitavi, compertum habens ipsorum nummorum magnitudinem ab Iconibus istis esse exuperatam; quamvis non adeo facile sit augurari, cur prædictas Iconas ita dilatare visum esset *Walkero*, tam in vita Regis *Ælfredi* quam in nupera Editione *Britanniæ Camdenianæ*. Et spes est hæc Tabulas Tibi, Vir Honoratissime, gratas fore, propterea quod nummos *Anglo-Saxonicos* & *Anglo-Danicos* triplo plures exhibent, quam Tabulæ quævis antehac Editæ: atque etiam id mihi curæ fuerit, ut quoad omnia nummi hi Eclypi accurate responderent suis Archetypis. Quem in finem nummos ut plurimum ipsissimos non modo diligenter inspexi, verum etiam manibus iterum iterumque versavi. Ubi mihi non data fuit copia videndi Archetypos, numismatum istorum Icones tanquam minus accurate

tæ fortasse haberi possunt, quales sunt Icones è Tabulis *Walkerianis* desumptæ, in quibus idcirco si quæ occurrant mendæ, mihi vitio minime vertendæ sunt. Et quamvis verear interim Opusculum hoc meum omnimodæ maculæ non adeo purum esse, ut nullos inibi errores detegat Lector in hisce studiis mediocriter versatus, multo minus versatissimus, hoc est, Tui (Comes Honoratissime) similis; nullus tamen dubito, quin si Tuo pariter Candore sit ornatus, quæcunque invenerit, facile condonarit sphalmata. Id quidem unicum est quod me anxium habet, nè Publicæ Saluti videar injurius, dum hasce meas nugas Tibi (Illustrissime Domine) evolvendas ausus sim obtrudere, qui tanto cum Honore, tanto cum fructu, & Horas Tuas & ipsum Te Publico impendis commodo.

Honoratissime COMES,

Tibi addictissimus

& obsequentissimus

ANDREAS FOUNTAINE.